






MISCELLANEE
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE

JO: BAPTISTÆ NA

VICENTINI

CLERICORUM REGULARIUM PRESBYT

De optima philosophandi ratione

ORATIO

Habita in Collegio Imperiali Nobilium
RR. PP. Theatinorum


Ab Imp. Cæsare CAROLO VI. Hispaniarum,
& Siciliæ Rege

PANORMI INSTITUTO

A D

FERDINANDUM

MARIAM THOMASIUM
Lampadusæ Principem, Palmæ Ducem, &c.
Hispaniarum Magnatem.



ROMÆ, MDCCXXXII
Ex Typographia Joannis Baptistæ Salvioni.
Superiorum Licentia.

ATQUE EXCELL.mo

FERDINAND

MARIÆ THOMASIO

Lampadusæ Principi, Palmæ Duci, &c.
Hispaniarum Magnati.

JO: BAPTISTA NÆVIUS CLER.REG. S.P.D.

UBI *Theatinorum Ordinem ingressus sum, atque ea, quæ* JOSEPHUS THOMASIUS *paucis ante annis e vivis sublatus Sanctissime gesserat, quæque copiosissime de rebus altissimis, atque ornatissime scripserat, ex intervallo commemorari audivi, ipsumque, non tam quod clarissimo Genere, quam quod optimis Christianæ pietatis exemplis ornatissimo na-*

..rit , ...in... , ...j..
adari ; statim omni observantiæ o..
..ilissimā THOMASIORUM *Familiam*
obstringi me sensi , ut vel hoc uno Ur-
..m hanc , imo Siciliam universam beatissi-
mam prædicarem , quod non hominibus modo
pietate præstantibus , sed familiis etiam , queis
sanctitas , ut ita dicam , patrimonium esset
omnium uberrimum , jure gloriari possit. Quo-
circa ubi Nobilissimorum Adolescentium in
Philosophia instituendorum caussa in Siciliam
trajeci , summopere gavisus sum , quum mul-
tis de caussis , tum vero ob eam maxime ,
quod CARDINALEM THOMASIUM *heic*
natum , & complures annos versatum esse co-
gitabam ; usu siquidem evenit , ut acrius , &
attentius de summis viris , locorum admoni-
tu , cogitemus , quam si quando eorum ipso-
rum , aut facta audiamus , aut scripta lega-
mus . Itaque nihil praeterea jam mihi optan-
dum superat , nisi ut hujusmodi animi mei sen-
sum , atque eam voluptatem , quam inde ce-
peram , Siculis omnibus , Tibique præsertim ,
PRINCEPS amplissime , manifestarem ; quo
fieret , ut & iidem , quæ de Cive optimo ,
& ornatissimo , & Tu ipse , quæ de Patruo
præclarissimo apud exteras gentes honorifice ,

& gra-

& graviter præa ntus , etiam a cognosceretis. Id ut præstarem, non opp ne modo, sed etiam cum celebritate, in rissimorum nimirum Virorum primarii i. regia Urbe Ordinis frequentia, occasio. præbuit nuper a me habita Oratio, De optima philosophandi ratione; *quandoquidem nullam aliam meliorem, aut magis aptam Virum summum laudandi opportunitatem nancisci poteram, quam, quum iis de rebus verba facerem, in quibus* THOMASIUS *quantopere excelluerit, quam acute, & subtiliter senserit, quam apte, accurateque scripserit (etsi non ex instituto) nemo, qui eius scripta legerit, non novit. Verum quod pro meo in Siculos officio, ac studio satis esse videbatur, pro observantia tamen erga Te mea, tuaque cum Cardinali amplissimo naturæ necessitudine, quæ summa est, haud satis esse putavi, nisi hanc ipsam Orationem Tibi inscriberem; id quod libentissime facio; haud dubitans, quin pro singulari tua humanitate, ac pro sincerissima, qua Theatinorum Ordinem prosequeris, benevolentia, munus hocce, qualecumque est (quod certe parvum est, & exile) benigne, & comiter sis accepturus. Vehementer scilicet amas nos, atque nostra,*

apud

magnu e,‹ , men abile, ac per quam *.pcum* THOMASIORUM *nomen, ob* *!arem, quum pietatis, tum doctrinæ lau-* *, qua* CAROLUS *Patruus tuus major,* JOSEPHUS *magnus Patruus Clerico-* *rum Regularium Congregationem illustrarunt; quibus, quam proximus sis, non modo sanguinis conjunctione, verum etiam pietate, ac morum honestate, libenter exponerem, si per Te mihi liceret, cujus tanta est animi moderatio, ut vel domesticas ipsas præclarissimorum Majorum laudes (quid tuas dixerim?) vix, ac nonnisi cum ingenua quadam verecundiæ, pudorisque significatione, audire possis. Quamobrem ne Tibi molestus videar, id tantum significabo, quod æqui, bonique facias; velim; nimirum ea præsertim de caussa Oratiunculam hanc in tuo nomine apparere voluisse me, ut posthac compertum habeas, honestiores Artes, atque adeò severiores Disciplinas; quæ in hac amplissima Domo, in qua, & Siculæ Nobilitatis flos, & spes maxima Siciliæ residet, traduntur,* JOSEPHI CARDINALIS THOMASII *institutionibus niti; ut Domus ipsa eius ope nititur, præsidioque firmissimo. Vale.*

ORA-

ORATIO.

QUÆ ad bene, beateque vivendum subsidia veteres sapientes excogitarunt, N. N. ea quatuor præceptis fuerunt comprehensa, nimirum, *Tempori parere, & sequi Deum, & se noscere, & nihil nimis* (a); quibus ut in secundis rebus moderationem, in adversis fortitudinem, atque constantiam, in supremum Numen pietatem, cupiditatum coercitionem, virtutum denique omnium ornamenta iidem complexi sunt, ita quo potissimum duce ad hæc omnia sibi comparanda hominibus sit utendum, Philosophia nimirum, haud obscure significarunt. Et quidem, *si tales nos natura genuisset*, inquit Tullius (b), *ut eam ipsam intueri, & perspicere, eademque optima duce, cursum vitæ conficere possemus, haud erat sane, quod quisquam rationem, aut doctrinam requireret*. Verum quia exigua duntaxat virtutum semina animis nostris inseruit, ne ea pravis moribus, & nimia errorum, quibus ob summam opinionum perversitatem obnoxii sumus, multitudine obruerentur, disciplina aliqua profecto fuit invenienda, quæ illa tueretur, foveretque, ut paullatim adolescentia [illegible] vitæ honestum finem, ad

(a) *Cicero de fin. lib. 3. in fine*

(b) *Tuscul. 3.*

quem

quem propenſos natura formavit, perducerent. Ex quo ſane intelligere poſſumus quanti Philoſophiæ ſtudium optimo cuique faciendum ſit; ſi enim ex cujuſque diſciplinæ materia, ratione, ac fine ejus dignitas, atque utilitas eſt æſtimanda, ea profecto facultas ceteris omnibus, & ſtudiis, & artibus antecedit, quæ aptam ratione bene utendi viam pandit, quæ ſupremi Numinis notitiam noſtris mentibus ingerit, quantaque ei gratia debeatur, oſtendit, quæ denique ad juſtitiam colendam, ad tuendas amicitias, & reliquas caritates animum ita comparat, ut naturæ dux, vitæque magiſtra jure optimo dici poſsit. Itaque mirandum non eſt, ſi ii, qui Philoſophiam quovis tempore coluerunt, adeo quum æquitatis, tum officii, ac pudoris, & moderationis amore, quæ nos virtutes Dei immortalis efficiunt quam ſimillimos, capti ſunt, ut non ſemel efferatæ, barbaræque nationes, non modo omni immanitate depoſita, humanitatem, morumque diſciplinam noſse, & colere cœperint, verum etiam præſtantiſſimis, & ingenio, & animi magnitudine viris brevi floruerint. At quorſum in Philoſophia laudibus exornanda, quæ jam cuique notiſſimæ ſunt, tandiu immorari? Neque enim is ego ſum, qui pro rei dignitate, atque amplitudine omnia ejus ornamenta recenſere valeam, & id adeo exploratum eſt, ut pluribus perſequi velle,

ina-

inane omnino esse videatur. Satius est igitur quoniam Philosophiæ studia, quæ nunc primum in hoc scientiarum, atque optimarum artium Domicilio inchoantur, moderandi provincia mihi demandata est, de universa huic disciplinæ operam præstandi ratione disserere; id enim consilii capiendum mihi censui, quum non alia de caussa constet vos huc convenisse, nisi ut, quæ sit optima philosophandi ratio nobili, atque ingenuo Adolescenti conveniens, quamque viam ipse insistere, quave uti methodo, statuerim, cognosceretis.

Sæpe attente mecum reputanti quid sit, cur in tanta Philosophorum copia adeo pauci fuerint, qui veritatem recte inquirere noverint, paucissimi, qui eandem invenire potuerint, occurrit tum nimia, qua veteres semper in scholis polluerunt, auctoritas, tum obfirmata illa per tot sæcula, perstans, & increbrescens opinio, certos huic scientiæ fines a veteribus constitutos esse, ut aliquam iisdem accessionem fieri posse nobis omnino foret desperandum. Hinc scilicet factum est, ut quamplures acutissimi, atque acerrimi ingenii viri, qui ad Philosophiæ studium quovis tempore se contulerunt, non quid de unaquaque re ratio suaderet, sed quid ab eo, quem initio sectari decreverant, statutum fuerit, investi-

gantes, non modo opiniones, quæ falsæ esse poterant, temere ratas habuerint, sed etiam metam humanis viribus definitam se attigisse crediderint, si illos fuerint assequuti. Ex hac antecepta animo informatione quantum detrimenti ceperit Philosophia, haud satis dixerim; etenim quum ceteræ artes, & scientiæ magis in dies expolirentur, novisque augerentur incrementis; atque adeo recentiores aliæ, quæ veteres latuerunt, passim in lucem prodirent, Philosophiæ solum adeo male consultum fuit, ut ne sæculorum quidem viginti spatio quicquã profecerit, &, quod gravius est, sterilior quotidie, atque implicatior apparuerit.

Neque enim id temporis vitio cuncta evertentis, & deformantis vertendum crediderim; quandoquidem, ut optime monet Vir quidam clarissimus, ac de Philosophia optime meritus, tantum abest, ut artibus, & scientiis tempus aliquid afferat detrimenti, ut etiam eas debeat maxime promovere. (c) *Quum enim*, inquit, *multis per omnium sæculorum seriem eandem artem, seu scientiam excolentibus, præcedentium inventis aliquid de sua quisque industria adjiciat, novumque lumen afferat; ea ars, seu scientia magnum sibi faciat accessionem, & in dies perficiatur necesse est.* Id quod statim disciplinarum, atque optimarum ar-

(c) *Jacobus Rohaltus in Præfatione ad Physicam.*

artium omnium inductione confirmat. Caussa itaq; retardati Philosophiæ progressus alia esse nequit, quam nimia antiquorum veneratio, a quorum semitis recedere sine piaculo nullus posse existimabatur. Quocirca qui in veritatis investigatione alienum sequuntur judicium, cum iis mihi conferendi videntur, qui quum suis ipsi oculis incedere possint, sponte sua sese lucis usura orbant, atque aliorum oculis ad progrediendum uti malunt. Siquidem id est menti judicium, quod oculus corpori; quemadmodum igitur si quis oculos clauderet, aut sibi effoderet, ut ab alio duceretur, non solum reipsa nihil videret, sed sibilis, & cachinnis tanquam demens exciperetur, ita qui, abdicato mentis usu, jurat, ut vulgo dici solet, in verba alicujus Auctoris, quiquumque ille sit, ejusque judicio omnino sese subjicit, *(d)* nihil revera intelligere, aut judicare censendus est, proindeque jure, & merito deridendus.

Huic perniciosæ anticipationi occasionem præbuit, aut ego fallor, maleferiatorum quorumdam, qui sibi docti videbantur, petulantia, qui quum ob ingenii tenuitatem nihil de suo depromere possent, toti erant in aliorum voluminibus evolvendis; ex quibus quæ sparsim, & sine ullo ordine decerpserant, me-

(d) Quum sapere, idest veritatem quærere, omnibus sit innatum, sapiētiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio invēta majorum probant, & ab aliis pecudū more ducuntur. *Lactant. lib. 2. Divinarum Instit. cap. 8.*

memoriæ mandantes, passim in otiosorum hominum cœtibus, eruditorum nomen apud indoctos affectantes, effundebant. Hac falsa eruditionis specie decepti, quamplures, juniores præcipue, quum aliorum dictis acquiescere, nihilque moliri minus operosum sit, optime secum actum existimarunt, si veterum inventis, & eorum præcipue, quorum nomen in omnium ore versaretur, contenti, in iis duntaxat assequendis omne studium, diligentiamque adhiberent. Dum hæc Philosophandi ratio invaluit, eo usque retardatus est scientiæ naturalis progressus; ut jam sapientioribus fere omnibus studia philosophica sorderent, quippe quæ viderentur ferme inutilia, & ex usu magis, quam ex utilitate aliqua, quæ inde capi posset, excolenda.

Ubi vero præstantissimi viri proximi sæculi tempore fere medio exorti sũt, qui veterum philosophantium jugum excutere, suumque judicium ad res omnes afferre statuerunt, ut nihil, quod ipsis non optime probaretur, quodve per se evidens, & perspicuum minime esset, confirmarent; tum Philosophia, quæ ad ea usque tempora misere jacuerat, erecta quodammodo, & recreata consistere, novaque luce exornari, ipsique incremẽtum in dies majus afferri, cœpit.

Quod ad nostrum igitur institutum spe-

ſpectat, id nobis primo præſtandum, ut rejectis omnibus anteceptis opinionibus, noſtro, non aliorum judicio, utamur in veritatis inquiſitione. Etenim quum ſit mẽtis naturale quoddam quaſi pabulum conſideratio, contemplatioque naturæ, indagatio ipſa rerum, tam earum, quæ ſub aſpectum cadunt, qnam quæ per mentem a ſenſuum conſuetudine abductam, cognoſcuntur, tantam habet oblectationem, ut ſi veritatem inveſtiganti, non dicam veritas ipſa, ſed aliqua ſimilitudo veri occurrat, humaniſſima compleatur animus voluptate.

At quum non omnia, quæ in Philoſophiam irrepſerunt, abſurda ex eo manarint, quod aliorum, & veterum præcipue auctoritati plus æquo tributum fuerit; ſed maxime ex opinionibus a ſenſuum in animum impreſſione facta prognatis, atque ex inconſiderata de rebus ignotis, vel non ſatis exploratis ſententia; hinc utrique incommodo omni cura, cogitationeque conſulendum eſt. Et primo quidem, quum omnibus iis opinionibus, quas ſenſibus hauſimus, mentem ſtatim exuere, eaſdemque ab iis, quæ a claris, diſtinctiſque notionibus ortum habuerunt, ſecernere, per quam difficile ſit; ne ſub veritatis ſpecie falſitate capiamur, Philoſophiæ ſtudium a dubitatione incipiendum ſtatuimus. Omnia igitur

na-

naturalia, quæ hucuſque, ut vera, rata habuimus, ſine diſcrimine in dubium initio revocabimus, & noſtrum aſſenſum tandiu continebimus, quoad certa ab incertis, perſpicua ab obſcuris diligentiſſime diſtincta fuerint.

Non deerunt, qui noſtram hanc philoſophandi rationem minus probent; erunt etiam, qui nos in ſuſpicionem violatæ Religionis vocent, perinde ac ſi de Dei exiſtentia, nec non de animorum noſtrorum immortalitate, aliiſque ad prædictam Religionem pertinentibus reipſa, quod Deus avertat, dubitemus; quibus ſatis eſse deberent ea, quæ Cajus Cotta apud Tullium (e) Lucilio Balbo, a quo diu, multumque fuerat laceſsitus, ut ſuam de Deorum natura opinionem probaret, reſpondiſſe fertur. Liceat igitur mihi ejus verbis uti parumper immutatis, & ad noſtram cauſsam accommodatis: *Ego vero* ea, quæ Romana Religio præcipit tenenda de ſupremi Numinis natura, deque reliquis ejuſdem Religionis decretis, *defendam ſemper, ſemperque defendi; nec me ex ea opinione, quam a majoribus accepi, ullius unquam oratio, aut docti, aut indocti movebit: ſed quum de Religione agitur,* divinas Literas imprimis, ſacram traditionem, ſacra Concilia, ſanctos denique Patres & præſertim Auguſtinum, & Tho-

(e) *Lib. 3. De nat. Deorum.*

Thomam, *non Zenonem*, *aut Cleantem*, *aut Chrysippum*, non Aristotelem, Gassendum, Cartesium, Nevvtonum *sequor* .... Quare si quod est divinum mysterium, aut Religionis decretum, quod naturali ratione firmari possit, a Philosophis *rationem accipere debeo*; *majoribus autem nostris*, *etiam nulla ratione reddita*, *credere*.

Nihilominus ut vitilitigatorum os penitus obstruamus, quid philosophicæ dubitationis nostræ nomine intelligi debeat, exponamus. Plures enim esse possunt dubitandi modi, nimirum potest quis dubitare ex vitiositate, atque ex prava animi indole, ut solent Athei; aut ex morositate quadam, ut Academici; vel denique ex diffidentia, quam sui ipsius mens habet, quod propriæ infirmitatis conscia, ne in errorem incaute dilabatur, assensum cohibet, & initio, ut certa ab incertis, perspicua ab oscuris secernat, de omnibus dubitat, sive ita est affecta, ac si reipsa de omnibus dubitaret. Idipsum Geometræ dici possent præstare, qui theoremata alias certissima non semel in dubium vertere solent, atque adeo ut falsa ponere, ut argumentis ea demonstrent. Quid quod agricolarum quoque mos est, ut triticum palea exolvant, utrumque in auras projicere, ut palea vento alio impulsa, expurgatum triticum col-

colligant? Quemadmodum igitur triticum revera projicere non censetur agricola; ita nos qui in philosophiæ limine de omnibus dubitamus, non omnia rejicere, improbareque judicandi sumus; potissimum vero, quæ ad Religionem revocantur, aut ad illius præsidium quoquomodo facere possunt. Quare quid nostram inter, & Academicorum dubitationem intersit, perspicuum est; illi enim ita dubitabant, ut nullum unquam dubitandi finem facerent; nos vero tandiu dubitamus, donec veritatis regulam, quæ in perspicuis, distinctisque mentis notionibus a nobis collocatur, animo tenuerimus. Qua quidem in re Platoni morem gerimus, qui, Tullio teste, (*f*) *Omne judicium veritatis, veritatemque ipsam abductam ab opinionibus, & a sensibus, cogitationis ipsius, & mentis esse voluit*.

(f) *Lib. 2. Acad.*

Ad judicii vero præcipitem celeritatem quod attinet, duo vitia hac in re vitanda monet idem Tullius: (*g*) *Unum, ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere assentiamus..... Alterum est vitium, quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras, atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias*. Quorum primum (quod sane quum in liberalibus disciplinis, tum in vita, & societate commu-

(g) *De officiis lib. 2.*

muni, graviſſimorum errorum caput, & origo eſt) ut effugiamus, *adhibebimus ad conſiderandas res, & tempus, & diligentiam* (*h*). Quumque nihil melius inconſideratæ de qualibet re ſententiam ferendi proclivitati mederi poſſit, quam longa, & circumſpecta cunctatio; aſſenſum noſtrum tandiu ſuſpendendum exiſtimamus, quoad perfectam quæſtionis, de qua agitur, notitiam ſimus aſſequuti. Neque enim ædepol ii ſumus, qui, ut quidam credere ſolent, quum noſtrum judicium, ubi res ipſa per ſe minime perſpicua eſt, apponimus, uti non ſemel, maxime in Phyſicis, uſu venit, veritatem jam tenuiſſe nos putemus, eidemque firmiſſime aſſentiamus. Illa enim, de quibus in utramque partem diſputari poteſt, talibus fere non nituntur fundamentis, ut citra omne errandi periculum certiſſimum, abſolutumque judicium de iis ferre poſſimus. Quinimo indignum prorſus ſincero, candidoque Philoſopho exiſtimamus, alicui ſententiæ, de qua adhuc ambigatur ita ſe addicere, ut omni dubitatione ſemota, conſtanter aliquis ſibi perſuadeat, eam duntaxat opinionem veram eſſe, quam probat; id quod tam eſt ab amore veritatis alienum, ut non ulla res magis omnem aditum obſeret ad veritatem. Quamobrem permirum mihi videtur, viros probos, ac pios

(h) *Ibidem.*

in id vitium incurrere posse; hinc quippe (i) jurgia, hinc partium studium, &, quod intolerabilius est, contumeliæ, convicia, nec non procacissima illa, atque iniquissima turpem hæreseos notam oppositæ sententiæ inurendi protervitas; qua calumnia nihil profecto perversius esse potest, aut ridiculum magis.

(i) Maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationesq; in disputando pertinaces, indignæ mihi Philosophia videri solent. *Cicero lib. 1. De finibus.*

Alterum ab ipsa eadem origine emanans vitium id est, uti monuimus, in rebus obscuris, & difficilibus, iisdemque minime necessariis tempus conterere; quod certo sine piaculo fieri non posse affirmat insignis Theologus Johannes Mabillonius in suo *de Studiis Monasticis libro (l)*; in cujus de hac re sententiam pedibus iit Josephus Thomasius nostri Ordinis, ac regiæ Urbis hujus ornamentum, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis amplissimus, qua generis nobilitate, qua vitæ integritate, ac in severioribus disciplinis singulari eruditione magnus imprimis, ac nobilis; qui miserum temporis damnum in tot *ratiunculis*, (m) (utor ejus verbis) *pugnisque verborum*, in tot *contortulis*, *& minutis conclusiunculis*, *in tot spinis disserendi*, *partiendi, atque definiendi*, *juxta præcepta disserendi*, *quæ & Aristoteles plurima tradidit*, *& postea qui Dialectici dicuntur spinosiora multa pepererunt*, valde conquestus est; suamque in hisce inutilibus

(l) *Parte 2. c. 15.*

(m) *In præfatione ad Indiculum Institutionum Theologicarũ Veterum PP. Romæ typis editum anno 1701. Tũ Panormi, 1723. Postremo ite-*

bus studiis exactam adolescentiam adeo dolebat, ut in Epistola ad eundem Mabillonium data (n) ingenue fateretur, se quondam dixisse *Eminentissimo Cardinali de Aguirre, si repuerascéret, alio se prorsus modo sua studia instituturum: ipsique optimum Cardinalem respondisse: se quoque rem menti illius consimilem facturum.*

Hinc conjici potest, utrum jure nobis succenseant, qui *litigiosas illas disputationes, & tricas, (o)* (ita enim appellat Thomasius) quibus referti sunt Scholasticorum Commentarii, conantur defendere Religionis specie, existimantes Theologiam, illis procul ablegatis, sartam tectam minime servari posse. Ergone Vir sanctissimus, deque sacris literis optime meritus, atque summorum omnium nostri ævi Theologorum judicio probatus, sacræ Theologiæ, ne dicam Religioni ipsi, minus consuluisse videbitur, quod eas non inanes solum, verum etiam perniciosas, pronuntiaverit? *Ut enim vera sapientia* (en ejus verba) *non tam in verbis, quam in rerum intelligentia, & contemplatione sita est, ita sedatum, serenumque animum, ceu purgatum oculum, nec contentionum fumo obtenebratum postulat. Hoc namque modo blandius sese ingerit veritas, tenaciusque adhærescit, ad intimas usque*

rum Panormi appositus est Libro, cui titulus Synopsis Theologiæ veterum PP. *quem Librum recens absolvit, ac publici juris fecit eximius Theologus Jacobus Gravina Clericus Reg. anno 1723.*

(n) *Epistola hæc extat in capite Indiculi, de quo supra.*

(o) *In præf. ad Indiculū post initium.*

que medullas pervadit; totamque ad se vocat aciem mentis; secus ac accidit IN LITIGIOSIS DISPUTATIONIBUS, ET TRICIS. Et non ita multo post, ubi ostendit Theologiæ studium in Patrum lectione, & intelligentia potissimum comprehensum esse; rationem affert, cur Sanctis Patribus a Scholasticis nihil tribuatur, *præter nudam*, ut ipse ait (p), *reverentiam, exhibitam e longinquo*; eam nimirum, *quod aliusmodi sit stylus Patrum, ac Scholasticorum; ille planus aptatus ad omnes; hic SUBTILITATIBUS, ACUMINIBUS, AC TRICIS REFERTUS.* (q)

Pergit inde ostendere, omnia hæc, quæ in sacram Theologiam irrepserunt, vitia non aliunde originem duxisse, quam ex Peripatetica Philosophia, atque ex neglecta Platonica philosophandi ratione; quam post Socratem, Platonem, Ciceronem, (r) *totumque Philosophorum cœtum tum Græcorum, tum Latinorum*, sequuti sunt veteres, ut ipse ostendit, sacrarum doctrinarum Patres, quamque Recentiores Philosophi tot jam sæculis jacentem, &, ut ita dicam, oblivione plane obrutam, & sepultam, iterum excitarunt, atque illustrarunt: *Porro*, inquit, *quum impræsentiarum jaceant instituta Platonica, & Aristotelem cuncta resonent gymnasia, quid mirum, si mi-*

(p) In epist. ad Mabill.

(q) In præf. n. 2.

(r) Ibidem post initium.

minus intelligantur quandoque Patres; si, quæ illi didicerunt, plerique omnes ignorant? (*f*) Inde hæc subjicit: *Ob eam caussam multo præstaret adolescentibus aggressuris suo tempore solidæ Theologiæ studia, primis lineamentis, ac rudimentis Philosophiæ Platonicæ informare animos*. Hæc Thomasius: qui sane quamvis *rationem nullam afferret*, ut de Platone ait Cicero (*t*), ob peculiares tamen caussæ hujus rationes, *ipsa auctoritate me frangeret*. Philosophiam igitur nostram, & præcipue Dialecticam, & Metaphysicas disputationes, exsectis omnibus inutilibus quæstiunculis, ad Platonicam scholam fingemus pro nostris viribus, atque conformabimus; in id potissimum incumbentes, ut res, non verba sectemur; atque ubi de vocibus agendum est, ut rebus ipsis verba quam simplicissima, & perspicua potius accommodemus, quam ad ancipitem inanium verborum significationem res ipsas contorqueamus.

(f) *Ibidem n.* 3.

(t) *Tusc.* I.

Non dubito ab hac philosophandi ratione, quæ a Thomasio tantopere commendatur, nonnullos perculsum iri, eos præsertim, qui

. . . turpe putant parere minoribus, & quæ
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.

Sed quicquid hi obloquantur, haud male mecum actum putabo, Auditores, si auctoritatem, officium, patrocinium, judicium denique vestrum, quod a me plurimi fit, huic caussæ, quæ mihi vobiscum communis est, accessisse comperero. Quamobrem si vos totius Siciliæ, si vestræ hujus nobilissimæ Urbis, quæ florentissimi Regni caput est, si præclarissimi Ordinis vestri dignitas, & amplitudo movet, ut certe movere debet, Thomasium vestrum, atque ab eo laudatam studiorum viam, & rationem ab obtrectatorum conviciis vindicate, rogo, quæsoque, ejusque asseclas fovete, ac pro viribus tuemini. Quid enim a Generis, Nominisque vestri gloria tam abhorrens, quam insignem pietate, ac doctrina Virum civem vestrum, cujus nomen per orbem longe, lateque pervadet, & magis semper increbrescens proferetur, qui exteras etiam nationes ad sui admirationem pertraxit, a vobis despici, quibuscum communem obtinuit Patriam, inter quos adolescentiam egit, quos morum probitate, quos vitæ innocentia, quos multorum scriptorum genere, & sacræ purpuræ amplissima dignitate decoravit; quos tandem e Cœlo præsidio optimo complectitur, & communit?

At de universæ Philosophiæ ratione satis jam hactenus dictum sit. Reliquum

est

eſt, ut de ſingulis ejus partibus nonnulla breviter in hac Oratione attingamus. Atque ut a Logica, quæ ordine prima eſt, & ceteris omnibus præmitti ſolet, incipiamus; quum ejus præcipuum munus ſit mentem ad veritatis inquiſitionem inſtruere, ac recte deducere; ad quod ſane nihil conferunt tot vocabulorum diviſiones, tot regularum coacervationes, quibus veteres Dialectici eam infarſerunt, ab ea Dialectica, quæ communiter tradi ſolet, noſtram omnino diverſam accipietis. Quocirca illam, non ut artem loquendi philoſophicis vocibus, aut inanibus ſubtilitatibus incautos capiendi, ſed ut artem inveniendi veri, & ſimul errores, in quos ipſi incideremus, aut ab aliis conjiceremur, cavendi, proponere ſtatuimus.

Logicam excipiet ea Philoſophiæ pars, quæ, ut eſt totius veluti diſciplinæ radix, & fundamentum, ab Ariſtotele *(u)* *Prima Philoſophia* appellata fuit, nunc autem Metaphyſica vulgo dicitur. In ea, quum Dei, tum animorum noſtrorum naturam, antequam ad rerum aſpectabilium conſiderationem deveniamus, fuſe, & dilucide, quantum humanæ patitur rationis infirmitas, contemplabimur. Quumque nulla cognitio, ut ait eximius quidã Philoſophus (x), utilior ſit, aut magis neceſſaria, hominis ſcientia, eam ceteris

æquum

(u) *Du Hamel in Præf. ad Metaphyſ. t. 3.*

(x) *Autor libri, De Inquirenda veritate; in Præfatione ad primum librum.*

æquum eſt antecedere; ne illos videamur imitari, qui dum ea, quæ foris ſunt, curioſius perſcrutantur, rei domeſticæ curam interim deſpicatui habent, quidque in propria domo agatur, ignorant.

Metaphyſicis Ethicen ſubnectimus, quæ priorem philoſophici curriculi annum abſolvet. In hac quæ ſint hominum, tum erga Deum, tum erga Patriam, tum in reliquos homines, officia declarabuntur; atque ea præ ceteris, quæ ad optimam vitæ inſtitutionem, præſertim in viro ingenuo, illuſtri loco nato, atque ad aliorum regimen deſtinato, imprimis ſunt neceſſaria, prodentur. Hanc Philoſophiæ partem tanti facere veteres conſuevere, ut perfectus, omnibuſque numeris abſolutus Philoſophus haberetur, qui vel ſoli morum ſcientiæ operam dediſſet. Hinc Socratem laudat Varro apud Tullium (y) quod Philoſophiam *primus a rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum Philoſophi occupati fuerunt, avocaverit, & ad vitam communem adduxerit; ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de rebus bonis, & malis quæreret*. Stratonem vero Theophraſti auditorem reprehēdit, quod *maxime neceſſariam partem Philoſophiæ, quæ poſita eſt in virtute, & moribus, reliquerit, totumque ſe ad inveſtigationem naturæ contulerit*.

(y) Acad. 1.

Po-

Postremo loco omnium mole maximã, re uberrimam, cognitionum varietate jucundissimam, utilitate tamen ceteris concedentem, Physicam, seu naturalem scientiam docebimus; in qua ea omnia, quæ variorum experimentorum ope detexit recentiorum Philosophorum industria, minime negligemus, ipsique Geometriam adjungemus. Etenim quum facultas hæc a natura maximis sit tenebris involuta, ab experimentis, & Mathesi, quæ ipsi per quam affinis est, auxilium adeo exposcere debet, ut nihil certi sit in tota Physica, quod experimentis, & geometricæ argumentationi non sit referendum acceptum. Porro eorum beneficio tot obfirmati in hominum mentibus errores revulsi sunt, totqne ad usum vitæ commoda invecta, ut ii, qui nec a labore, nec a gravioribus expensis abstinentes, vel nova intulere experimenta naturalem scientiam illustrantia, vel Geometriæ theorematis ad naturæ arcana condita aperienda viam sibi paraverunt, quos inter Guerrickius, Boilæus, Hugenius, Harvæus, & postremo Isaacus Newtonus, æternum sibi in sapientum virorum memoria nomen comparaverint. Mirum itaque non est, veteres Philosophos in gymnasiorum suorum limine, *Nemo huc pedem inferat nisi Geometres*, inscripsisse; nam sine Geometria maxima

Phy-

Physicæ pars in abdito latet. Quis enim sive generales motuũ regulas in corporũ collisione, sive speciales reflexionum, & refractionum leges, quibus ad luminis, colorumque naturam dignoscendam prope accedimus, definire potest mathematicis literis plane destitutus? Quis corporum cœlestium motum, magnitudinem, atque distantiam mensura complecti? Quis Staticen, & Hydrostaticen, quis Geographiam, & Meteorologiam, quis Opticen, Dioptricen, & Catoptricen, non dicam percipere poterit sine Geometriæ ope, sed ne longe quidem, aut a primo limine salutare? ut universim affirmare liceat cum Xenocrate, hanc esse veluti *Philosophiæ ansam*. Is siquidem, ut ferunt, cuidam Mathematum ignaro in Scholam pedes inferenti: *Abi*, inquit, *ansas enim non habes Philosophiæ*.

Ut vero eo, unde exorsi sumus, revertatur Oratio, utque omnia simul concludamus, in toto hoc Philosophiæ negotio id potissimum ob oculos ponendum decernimus, ut rejectis omnibus præjudicatis opinionibus quarumquumque rerum, veritatem serio, & sincere, semotoque partium studio, perquiramus. Non eo quidem animo, ut in sola, nudaque contemplatione hæreamus; sed ut rerum cognitio ad vitæ usum, &, quod caput est, ad morum disciplinam, virtu-

tum-

tumque omnium assequutionem, nobis adjumento esse possit. Quandoquidem vitia animo expellere, atque omnibus liberali viro, ingenueque instituto dignis virtutibus formare, ita proprium est Philosophiæ, ut ea de caussa nulla ipsius pars, si Tullio credimus, (z) virtutis nomine, ac munere vacare censenda sit.

(z) *De finibus lib. 3. in fine.*

Ad hujus itaque nobilissimæ disciplinæ studium non est cur vos horter, Adolescentes lectissimi; quum enim eo sitis loco nati, ita liberaliter educati, eaque animi indole præditi, ut non dicam sponte, sed etiam natura ipsa, ac quodam veluti instinctu, qui nobilissimo cuique videtur esse congenitus, ad omne id, quod honestum, optimumve sit, quodque recti formam præseferat, ducamini, jam ad Philosophiam adipiscendam, quod idem est, atque ad virtutis amorem, magis incensos vos video, quam ut ulla mei exhortatione indigeatis. Itaque id unum moneho, quum id maxime appetant homines, ut feliciter, beateque vivant, nihil autem melius, nihil magis expetendum, nihil præstantius honoribus, divitiis, & populari gloria vulgo existimetur, hanc opinionis pravitatem, qua plane inficimur, atque ab optima natura desciscimus, esse omnino abjiciendam. Id vero præstabitis, si bonorum extremum, quo omnia bene vivendi præcepta referantur,

non

non in bonis corporis, non in rerum affluentia, non in gloriæ adumbrata quadam imagine, non denique in generis nobilitate a virtute sejuncta, constituendum esse intellexeritis, in quo sane totius philosophici studii summa consistit, idque idcirco alte animo vobis est infigendum, ut veram illam honestatem expetatis, quam unam natura summopere exoptat, atque ad eum vitæ finem, qui omnibus ratione bene utentibus est propositus, optimum scilicet, & beatissimum, possitis pervenire.

Neque enim alia de caussa hoc optimarum artium Domicilium constituit singularis erga vos CAROLI VI. Romanorum Imperatoris benevolentia; non alia Viri nobilissimi summa animi integritate, æque ac in vos studio, & caritate præstantes, de vestris animi ornamentis adeo sunt solliciti; non alia denique Parentes optimi vobis heic degentibus, quos carissimos habent, quodammodo carere ad tempus ferunt, quam ut præ cæteris disciplinis, quæ vos honestare possint, ea potissimum imbuamini, cujus ope viros optimos, honestatis amatores, bonis moribus exornatos, singulari judicio, ac prudentia, quum in publicis negotiis, tum in privatis obeundis, instructos, virtutibus demum omnibus præditos, domum reduces recipiant.

F I N I S.

